Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8336
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

dixit. Quanti mercenarii in domo patris mei habun
dant panibus: ego autem hic fame pereo. Surgam et ibo ad pa
trem meum: et dicam ei. Pater: peccavi in celum et coram te:
et iam non sum dignus vocari filius tuus: fac me sicut unum
de mercenariis tuis. Et surgens venit ad patrem suum.
Cum autem adhuc longe esset: vidit illum pater ipsius: et misericor
dia motus est. Et accurrens cecidit super collum eius: et osculat
est eum. Dixitque ei filius. Pater: peccavi in celum et coram te: iam non sum
dignus vocari filius tuus. Dixit autem pater ad servos suos. Cito
proferte stolam primam et induite illum: et date annulum in manu
eius: et calceamenta in pedes eius. Et adducite vitulum saginatum
et occidite: et manducemus et epulemur: quia filius meus hic mor
tuus erat et revixit: perierat et inventus est. Et ceperunt epu
lari. Erat autem filius eius senior in agro. Et cum veniret et appropin
quaret domui audivit simphoniam et chorum: et vocavit unum
de servis et interrogavit que hec essent. Hisque dixit illi. Frater
tuus venit et occidit pater tuus vitulum saginatum: quia salvum
illum recepit. Indignatus est autem: et volebat introire. Pater ergo
illius egressus: cepit eum rogare. At ille respondens: Dixit
patri suo. Ecce tot annis servio tibi: et nunquam mandatum
tuum preterivi: et nunquam dedisti mihi edum: ut cum amicis meis
epularer. Sed postquam hic filius tuus qui devoravit substantiam
suam cum meretricibus venit: occidisti illi vitulum saginatum. At
ipse dixit illi. Fili tu semper mecum es: et omnia mea tua sunt.
Epulari autem et gaudere oportebat: quia frater tuus hic mortuus
fuerat et revixit perierat et inventus est. Dom. iii. Ad ephesios.

Fres. Estote imitatores dei sicut filii karissimi: et ambulate
in dilectione sicut et xpc dilexit nos et tradidit semetipsum
pro nobis oblationem et hostiam deo in odorem suavitatis. For
nicatio autem et omnis immundicia aut avaricia nec nominetur
inter vos sicut decet sanctos: aut turpitudo aut stultiloquium.